

PONTIFICIUM CONSILIUM  
DE LEGUM TEXTIBUS

# COMMUNICATIONES

VOL. XXXVII - N. 2

---

2005

# COMMUNICATIONES

PONTIFICIUM CONSILIUM  
DE LEGUM TEXTIBUS

Piazza Pio XII, 10 - 00193 Roma

N. 2

Semestrale

DECEMBRI 2005

Sped. Abb. Postale - 50% Roma

## EX ACTIS BENEDICTI PP XVI

|  |     |
|--|-----|
| Litterae Apostolicae <i>Motu proprio</i> datae de Basilicis Sancti Francisci et Sanctae Mariae Angelorum quibus novae normae decernuntur . . . . . | 149 |
|--|-----|

## EX ACTIS CONSILII

|   |     |
|---|-----|
| QUAESTIONES QUaedam studio Pontificii Consilii submissae . . . . .  | 151 |
| RELATIONES CUM IURIS CANONICI STUDIO . . . . .  | 153 |
| ALLOCUTIO Em.mi Praesidis apud Universitatem Catholicam Murcensem Sancti Antonii occasione Congressus Eucharistici Internationalis Universitarii habita: <i>La Eucaristía en el ordenamiento jurídico de la Iglesia</i> . . . . . | 154 |

## EX ACTIS SANCTAE SEDIS

|   |     |
|---|-----|
| CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI<br>Adnotatio de Ministro Sacramenti Unctionis Infirmorum . . . . .   | 175 |
| CONGREGATIO DE INSTITUTIONE CATHOLICA<br>Instructio circa criteria discernendi quoad vocationem personas quae tendentias homo-sexuales praesentant in ordinem ad eas admittendas ad seminarium et ad ordines sacros . . . . . | 180 |

## EX ACTIS PONTIFICIA COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

|  |     |
|--|-----|
| Coetus studiorum «De Bonis Ecclesiae Temporalibus» (Sessio VI) . . . . .   | 186 |
| Coetus studiorum «De Bonis Ecclesiae Temporalibus» (Sessio VII) . . . . .  | 203 |
| Coetus studiorum «De Bonis Ecclesiae Temporalibus» (Sessio VIII) . . . . . | 223 |
| Coetus studiorum «De Bonis Ecclesiae Temporalibus» (Sessio IX) . . . . .   | 256 |
| Schema Canonum «De Iure Patrimoniali Ecclesiae» . . . . .                  | 284 |
| NOTITIAE . . . . .   | 304 |
| OPERA A CONSILII BIBLIOTHECA RECEPTA . . . . .                             | 305 |
| INDEX RERUM GENERALIS . . . . .  | 307 |

COETUS STUDII  
« DE BONIS ECCLESIAE TEMPORALIBUS »

Sessio IX<sup>a</sup>

(diebus 20-22 aprilis 1970 habita)

Diebus 20-22 aprilis 1970, in Aula Sedis Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo, convenerunt Consultores designati ut membra Coetus Studiorum ad recognoscendas normas de iure patrimoniali Ecclesiae.

Sessioni intererant: Rev.mi Vincentius Fagiolo, Hercules Crovella, Laurentius McReavy; Rev. PP. Daniel Faltin, Alfonsus Stickler; Ill.mi Eugenius Isele et Marius Petroncelli.

Tertiae adunationi praefuit Em.mus Cardinalis Praeses, ceteris vero adunationibus praefuit Rev.mus P. Raimundus Bidagor, Secretarius Generalis Commissionis; munere Relatoris functus est Rev.mus Crovella et munere actuarii functus est Rev.dus Voto, a studiis Commissionis.

Pro hac Sessione propositae fuerunt a Secretaria quaestiones de ordinatione systematica omnium canonum in praecedentibus Sessionibus approbatorum et de aliquibus canonibus forte supplendis.

Vota de propositis quaestionibus paraverunt Rev.mi Consultores Crovella, McReavy et Beste.

Adunatio I<sup>a</sup>


die 20 aprilis 1970 mane habita

Rev.mus Secretarius salutem dicit omnibus Consultoribus et quaerit num ipsis placeat Relatio laborum VIII<sup>ae</sup> Sessionis quod attinet sive ad integritatem sive ad veritatem eorum quae in illa Sessione dicta sunt.

Consultores unanimiter Relationem approbant.

Circa ordinem laborum huius Sessionis, Rev.mus Secretarius dicit quod in voto Rev.mi primi Consultoris praebetur ordinata dispositio totius materiae, quare illum votum sumi potest tamquam basis pro discussione facienda.

Suggestio Rev.mi Secretarii omnibus placet.



*Tit. I. Canones praeliminares*

Rev.mus Secretarius, ad praecavendas obiectiones Consultorum, legit principia circa ius Ecclesiae in bonis temporalibus, quae continentur in schemate *Legis Ecclesiae Fundamentalis*. In can. 94 § 4 ita dicitur: « Ecclesia in procurando bono hominum spirituali, rebus temporalibus eget atque utitur, quantum propria eius missio id postulat. Quare ipsi, ut in suo genere supremae, ius competit nativum acquirendi, retinendi atque administrandi ea bona temporalia quae ad fines sibi proprios... requiruntur ».

Cum haec tantum in illo schemate dicantur, Rev.mus Secretarius monet Consultores ut in hac parte de iure patrimoniali omnes normae quae necessariae videntur inserantur, praescindendo a Lege Fundamentali. In sede autem coordinationis laborum videbitur si quid forte eliminandum sit.

Rev.mus primus Consultor proponit ut sequentes canones sub Titulo de « canonibus praeliminaribus » ponantur:

Can.1: De nativo Ecclesiae iure acquirendi etc. bona ad fines proprios (can. 1495 prout prostat in appendice Relationis praecedentis Sessionis);<sup>1</sup>

Can. 2: De finibus propriis in quos illud ius exercetur (can.1497);

Can. 3: De nativo Ecclesiae iure exigendi a fidelibus necessaria ad fines (can. 1500);

Can. 4: De correlativa fidelium obligatione contribuendi necessaria ad fines (can. 1501);

Can. 5: De Ecclesiae iure imponendi tributa (can. 1502);

Can. 6: De taxis praefiniendis (can. 1504);

Can. 7: De stipe cogenda (can. 1503);

Can. 8: De praesumptiva offerentium intentione, et de oblationibus non repudiandis (can. 1536);

Can. 9: De praescriptione recepta ab Ecclesia pro bonis ecclesiasticis (canon nondum recognitus).

Omnes Consultores assensum praebent ut cann. 1-8 ponantur inter canones praeliminares.

<sup>1</sup> Textus omnium canonum, qui in praesenti Relatione citantur, habetur in appendice Relationis Sessionis VIII<sup>ae</sup>. In appendice autem praesentis Relationis praebetur textus canonum secundum novam systemationem et ordinationem.

Circa can. 9, de praescriptione, sequentes animadversiones habentur.

Rev.mus Secretarius meminit discussiones factas a nostro Coetu in Sessione II circa aptiorem locum canonum de praescriptione.

Actuarius legit sententias Consultorum in illa Sessione prolatas circa hanc quaestionem et deinde Consultores denuo easdem sententias plus minusve confirmant.

Sed Rev.mus primus Consultor animadvertit quaestionem de aptiore loco canonum de praescriptione praetermitti posse in nostro Coetu, qui potius examinare debet num in cann. 1508-1512 CIC quid contineatur quod stricte bona temporalia respicit.

Iamvero praeter principium generale in can. 1508 assertum, quo praescriptio tamquam acquirendi et se liberandi modus pro bonis ecclesiasticis admittitur, fere nihil in citatis canonibus habetur quod proprie et unice bona Ecclesiae temporalia respicit.

Si ita est, hoc tantum principium generale retineri potest, apte in sequenti forma recognitum: «Praescriptionem, tamquam acquirendi et se liberandi modum, prout est in legislatione civili respectivae nationis, Ecclesia pro bonis ecclesiasticis recipit, salvis praescriptis canonum N.N.».

Examinantur cann. 1509-1512 CIC num quid contineant quod ad ius patrimoniale spectet, quodque retinere oporteat: can. 1509 numerat quae praescriptioni obnoxia non sunt:

- quae in nn. 3 (iura spiritualia) et 4 (fines dioecesium etc.) continentur non sunt bona temporalia;
- quae continentur in nn. 5 (onera et eleemosynae missarum) et 7 (ius visitationis et oboedientiae) afficiunt obligationes;
- n. 6 respicit beneficia, quae in novo Codice supprimuntur;
- cathedra de quo in n. 8 non est bonum ecclesiasticum, quia solvitur personae.

Manent ergo nn. 1 et 2 qui retineri deberent, quia afficiunt bona temporalia, attamen illae normae ita obviae sunt ut tuto omitti possunt. Ex natura rei enim patet quod non sunt praescriptioni obnoxia « quae sunt iuris divini sive naturalis sive positivi » et « quae obtineri possunt ex solo privilegio apostolico ».

Can. 1510 bona *tantummodo privata* respicit, quae non sunt bona *ecclesiastica*.

Can. 1511 pertinet ad ius processuale.

Can. 1512 praebet normam iuris naturalis, quae proinde omitti potest.

Hisce dictis, Rev.mus Secretarius quaerit placeatne retinere tantum principium generale prout propositum a Rev.mo primo Consultore.

Criterium hoc omnibus placet, salva tamen discussione formulae, quae adhuc perficienda erit.

De loco autem huius canonis Rev.mus primus Consultor proponit ut ponatur inter canones praeliminares, quia in nostro schemate non habetur sectio «de bonis acquirendis». Nec convenit ut talis sectio fiat, secus ad illam transferri deberent plures canones qui pacifice nunc retinentur inter canones praeliminares.

Ill.mus secundus Consultor proponit ut habeatur sectio «de acquisitione et de alienatione bonorum».

Rev.mus quartus Consultor notat quod plura de acquisitione tractantur in sectione «De obiecto domini», proinde propositio Ill.mi secundi Consultoris non placet.

Omnes alii Consultores concordant ut canon de praescriptione ponatur inter canones praeliminares.

**Adunatio II<sup>a</sup>**  
**die 20 aprilis 1970 vespere habita**

Rev.mus primus Consultor praebet Consultoribus formulam canonis de praescriptione:

«Praescriptionem, tamquam acquirendi (et se liberandi?) modum, prout est in legislatione civili respectivae nationis, Ecclesia pro bonis ecclesiasticis (iuxta normas in canonibus... statutas) recipit, dummodo bona fide per totum possessionis tempus requisitum nitatur».

Circa hanc formulam sequentes animadversiones habentur:

1) Rev.mus tertius Consultor proponit ut formula ita mutetur: «Leges civiles quae respiciunt praescriptionem... Ecclesia recipit...».

Rev.mus primus Consultor animadvertit quod Ecclesia recipit institutum praescriptionis tamquam modum acquisitionis, non recipit leges civiles. Sensus canonis ergo debet esse hic: Ecclesia recipit institutum praescriptionis iuxta normas in canonibus N.N. statutas.

2) Circa verba «iuxta normas in canonibus... statutas», duo propositiones habentur:

- Rev. mus Secretarius proponit ut in fine canonis ponantur;
- Rev. mus tertius Consultor item proponit ut in fine canonis ponantur, ita tamen mutatis: « nisi aliter statuatur in Codice ».

Rev. mus primus Consultor respondit quod tales emendationes recipi nequeunt quia sensus clausulae est ista: « praescriptio recipi debet iuxta normas in canonibus... statutas ».

3) Rev. mus Secretarius censet quod oportet exigere bonam fidem *tum initio praescriptionis tum per totum tempus*.

Rev. mus primus Consultor respondit se nihil in contrarium habere pro hac additione, tamen si dicitur « per *totum tempus* » iam patet quod etiam initio necessaria sit bona fides.

4) Ill. mus secundus Consultor non vult verbum « recipit », quia usus huius verbi supponit theoriam de societate perfecta Ecclesiae. Quae theoria in iure patrimoniali eam accipit interpretationem, qua Ecclesiae competentia et officium attribuuntur statuendi normas de patrimonio acquirendo. Sed hac in re non est quaestio num Ecclesia ius habeat acquirendi bona temporalia, sed num habeat facultatem normas statuendi de acquisitione, originaria et derivata, de emptione-venditione, de permutatione, donatione aliisque negotiis iuridicis; quaeritur ergo num Ecclesia proprium ius de rebus et obligationibus condere possit.

Recognitio CIC postulat ut conceptus quidam ecclesiologici clariores fiant. Iamvero tempora nostra spiritualiorem conceptum Ecclesiae postulant, ita ut removeatur indoles Ecclesiae mediae aetatis hierocraticae et omnipotentis.

Ad bona temporalia quod attinet sufficit vindicare Ecclesiae ius nativum acquirendi et possidendi, non autem condendi ordinem iuridicum circa bona sive per leges proprias sive per canonizationem legum civilium.

Alii Consultores firmam tenent doctrinam de autonomia Ecclesiae etiam in statuendo ordine iuridico bonorum, quia Ecclesia est societas in suo ordine suprema. Ceterum, dicit Rev. mus Secretarius, « receptio legum » pertinet ad technicam legislativam et non implicat directe principium societatis perfectae. Ergo quaestio mota ab Ill. mo secundo Consultore in alia sede facienda est.

His dictis, Rev. mus primus Consultor proponit hanc formulam quae omnibus placet:

« Praescriptionem, tamquam acquirendi et se liberandi modum, prout est in legislatione civili respectivae nationis, Ecclesia pro bonis ecclesiasticis recipit, salvis praescriptis in canonibus... statutis, dummodo bona fide per totum possessionis tempus requisitum praescriptio nitatur ».

Adunatio III<sup>a</sup>  
die 21 aprilis 1970 mane habita

*Tit. II. De subiecto domini*

Rev. mus primus Consultor proponit ut in hoc Titulo sequentes canones ponantur:

Can. 10: De subiecto capaci acquirendi, retinendi et administrandi bona (can. 1496);

Can. 11: De determinatione subiecti actualis (can. 1498);

Can. 12: De indole canonica bonorum quae ad tale subiectum pertinent, scil. quatenam sint bona ecclesiastica (can. 1499);

Can. 13: De diverso iure, prout subiectum est persona canonica publica aut privata (can. 1499 bis).

Omnes Consultores approbant hanc dispositionem canonum, attamen specialis quaestio fit de can. 10 (can. 1496), utrum scilicet enumeratio subiecti domini, quae ibi habetur, sufficiat, an sit complenda.

Rev. mus Relator censet can. 10 (1498) supprimi posse quia sufficit principium generale canonis sequentis quod nempe «dominium bonorum ... ad eam pertinet moralem personam, quae eadem bona legitime acquisiverit».

Rev. mus primus Consultor item censet quod can. 10, *per se*, supprimi posset, quia iam ex cann. 11 et 12 (1498 et 1499) eruitur omnem et solam personam moralem in Ecclesia subiectum domini bonorum ecclesiasticorum esse posse. Attamen, ad claritatem, utile est ut can. 10 (1496) servetur, suppressa tamen enumeratione exemplativa personarum. Canon scil. his verbis redigi potest: «Subiectum capax bona temporalia acquirendi, retinendi et administrandi ad normam iuris est quaevis persona moralis, sive publica sive privata, quae vel ex ipso iuris praescripto vel ex speciali competentis auctoritatis ecclesiasticae concessione in iuridicam personam erecta sit».

Alii Consultores concordant cum Rev. mo primo Consultore, quia enumeratio exemplativa saepe in iure est periculosa.

Rev. mus quartus Consultor item concordat cum Rev. mo primo Consultore et duo addit:

a) ut in canone, prout proposito a Rev. mo primo Consultore, dicatur esse subiectum capax non solum personas morales sed etiam universitates personarum et universitates rerum;

b) ut votum Coetus noster faciat aliis Coetibus ut, ubi res sinit, de singulis entibus dicatur num personalitatem canonicam habeant.

Ill. mus secundus Consultor optat ut ius canonicum clare determinet entia personalitate canonica praedita ut bene appareat ex.gr. utrum sit persona canonica officium parochi an territorium paroeciale, utrum officium Episcopi an territorium dioecesis. Haec clarificatio est necessaria quia multum de his controvertitur in doctrina civilistarum.

Rev. mus Secretarius autem vellet ut redactio can. 10 (1496) integra maneat, id est ut in canone servetur numeratio exemplativa personarum moralium, scilicet Conferentiae episcopales, dioeceses, paroeciae ita ut, si forte alii Coetus id omiserint, non desit in iure declaratio subiectorum ad quae pertinent bona temporalia, praesertim quod attinet ad Conferentiam episcopalem. De paroecia enim et de dioecesi non est dubitandum quin Coetus competens decernat ipsas personalitatem moralem habere, sed de Conferentiis episcopalibus dubium oriri potest de opportunitate erigendi illas ex iure in personam moralem, quia haec erectio significaret capacitatem Conferentiae episcopalis non solum in ordine ad bona patrimonialia sed etiam in ordine ad alia, quod esset periculosum. Idem dubium haberi forsitan potest de associationibus fidelium.

Rev. mus primus Consultor respondit quod Conferentiae episcopales iam personalitate morali donantur a Concilio Vaticano II, vel, eo ipso quod a S. Sede instituantur, personalitate morali donantur.

Alii Consultores non communicant hanc ultimam opinionem cum Rev. mo primo Consultore, attamen neque approbant propositionem Rev. mi Secretarii.

Deinde examinantur textus Concilii Vaticani II num ex ipsis suffragetur opinio Rev. mi primi Consultoris et plures discussiones habentur circa propositiones factas a Rev. mis Secretario, primo et quarto Consultoribus.

Tandem sequentes propositiones suffragantur:

a) Placeatne nova redactio can. 10 (1496), prout proposita a Rev. mo primo Consultore:

placet 6; se abstinet a sententia ferenda 1.

b) Placeatne quod noster Coetus optet ut iure Conferentiae episcopales erigantur in personam moralem in ordine ad capacitatem possidendi bona:

placet omnibus.

Adunatio IV<sup>a</sup>  
die 21 aprilis 1970 vespere habita

Rev. mus primus Consultor memorat quod in schemate, proposito in praecedenti Sessione, circa ordinationem totius argumenti in libro de iure patrimoniali, habebatur Titulus «De obiecto bonorum ecclesiasticorum» qui sequentia capita comprehendebat:

- a) de massis in dioecesibus constituendis;
- b) de patrimonio ecclesiarum;
- c) de piis voluntatibus in genere et de foundationibus in specie;
- d) de patrimonio religiosorum.

Iamvero Rev. mus primus Consultor censet quod hic titulus supprimi potest sequentibus de causis:

1) Ex canonibus de patrimonio ecclesiarum (cann. 1182-1187 CIC) nulla norma adest quae servari debet et ad librum de iure patrimoniali transferri. Nam:

– *quoad can. 1182*: administrator de qua in §§ 1 et 2 saltem in praxi est idem quem designat can. 1520 bis, scil. ille «qui immediate regit personam moralem ad quam eadem bona pertineant, nisi aliud ferat ius particulare, aut statuta, aut legitima consuetudo». Quod autem talis administrator oblationes administrare debeat «ad normam sacrorum canonum» (§ 3), id satis patet ex pluribus canonibus;

– *quoad cann. 1183-1184 et 1186*: provisiones ibidem contentae melius iuri particulari relinqui possunt;

– can. 1185 et can. 1187 manere debent in Tit. «De ecclesiis» ad quem proprie pertinent.

2) Canones de piis voluntatibus in genere et de foundationibus in specie improprie sub Titulo «de obiecto dominii» ponerentur. Imprimis enim non omnia bona, quae ad causas pias donantur, fiunt obiectum dominii Ecclesiae, sed ea tantum bona quae, utpote personae morali in Ecclesia donata, sunt bona ecclesiastica.

Porro etiam haec bona quae ita fiunt obiectum dominii Ecclesiae, vix sub hoc aspectu, scil. tamquam obiectum dominii in nostris canonibus tractantur. Asserta enim libera fidelium potestate donandi ad pias causas, in

illis canonibus agitur potius de obligatione adimplendi pias voluntates vel fundationes, necnon de modo praecavendi ut adimpleantur.

Bona vero quae ex pia voluntate committuntur personae physicae vel instituto quod personalitate morali canonica caret, cum non sint «ecclesiastica», nonnisi propter connexionem materiae in nostro libro inclusive tractantur.

His de causis omnes canones de piis voluntatibus et de fundationibus improprie ponentur sub titulo «de obiecto dominii», et opportunius poni possunt in *sectione speciali*, scilicet post Titulum de bonis ecclesiasticis in genere agentes.

3) Item canones de patrimonio religiosorum agentes, non sub Titulo «de obiecto dominii» in genere ponantur oportet, sed potius sub *titulo speciali*, post canones qui bonis ecclesiasticis in genere sunt communes. Ius enim religiosorum est ius commune *speciale*; illi canones respiciunt varia argumenta (acquisitionem, administrationem, etc.) et quidem sub aspectu *speciali*. Quare recte concludi potest circa opportunitatem alicuius tituli specialis de bonis religiosorum.

N.B.: Per se canones de bonis temporalibus religiosorum melius esset si in libro de religiosis manerent, quia intime cum aliis principiis illius iuris specialis connectuntur, unum totum cum illis constituentes, ita ut extra illorum contextum minus facile intelligantur. Tamen, ex rationibus novae ordinationis systematicae, nobis commissum est ut omnes canones, de iure patrimoniali agentes, in unica sede coadunentur. Ideo proponitur ut canones de bonis religiosorum sub titulo speciali ponantur, post illos titulos qui bonis ecclesiasticis in genere sunt communes.

Deficiente itaque materia sufficienti, cadere videtur, concludit Rev. mus primus Consultor, ratio Tituli distincti «de obiecto dominii». Quoad unicum canonem qui manet, scil. *de massis in dioecibus constituendis*, non improprie sub titulo «de subiecto dominii» appendi potest, ita ut fiat can. 14.

Post aliquam brevem discussionem, omnes Consultores approbant propositiones Rev. mi primi Consultoris.

### *Tit. III. De administratione bonorum*

Rev. mus primus Consultor, omnibus Consultoribus approbantibus, proponit sequentem dispositionem canonum de administratione bonorum ecclesiasticorum.

*Can. 15: De Summo Pontifice generali administrationis moderatore (can. 1518)*

Redactio tamen huius canonis, de consensu omnium Consultorum, ita mutatur: « Summus Pontifex, vi primatus iurisdictionis, est omnium bonorum ecclesiasticorum supremus administrator et dispensator. Eiusdem igitur est legibus generalibus administrationem bonorum ecclesiasticorum moderari et graviores causas suo iudicio reservare ».

*Can. 16: De administratione bonorum quae ex pluribus dioecesibus coalescunt (can. 1519)*

Redactio huius canonis ita leviter mutatur: « Bona ecclesiastica, quae ad normam can. 14 ex pluribus dioecesibus coalescunt, administrantur secundum normas a Conferentia episcopali legitime statutas ».

Can. 17: De Ordinarii officio advigilandi (can. 1519 bis)

Can. 18: De consilio administrationis (can. 1520)

Can. 19: De oeconomio dioecesano (can. 1521 ter)

Can. 20: De administratore immediato (can. 1520 bis)

Can. 21: De administratoribus suppletivis (can. 1521)

Can. 22: De ordinariae administrationis finibus determinandis (can. 1527)

Can. 23: De communi administratorum obligatione agendi nomine Ecclesiae, ad normam iuris (can. 1521 bis)

Can. 24: De iuramento praestando et de inventario redigendo (can. 1522)

Can. 25: De praecipuis administratorum officiis in specie (can. 1523)

Can. 26: De donationibus caritativis e bonis mobilibus (can. 1523 bis)

Can. 27: De principiis iustitiae socialis servandis (can. 1524)

Can. 28: De rationibus annuis exhibendis (can. 1525)

Can. 29: De litibus in foro civili (can. 1526).

**Adunatio V<sup>a</sup>**  
**die 22 aprilis 1970 mane habita**

*Can. 30: De litibus inter fideles per transactionem componendis*

Ratio introducendi in hanc partem Codicis canonem de transactione habetur in voto facto a Coetu «de iure processuali», qui censuit transactionem non esse nisi contractum, cuius executio non exigit ullum tramitem processualem, cuiusque locus aptus proinde est in parte de bonis temporalibus.

Attamen non ex toto propositio illius Coetus approbatur, cum praevaleat sententia Rev.mi primi Consultoris, iuxta quem cann. 1925-1929 *alias respiciunt controversias* praeter eas quae ius patrimoniale attingunt; ideoque non omnes illae normae transferri possunt in hanc partem, sed una tantum norma confici potest qua transactio indicetur tamquam modus componendi quasdam lites quae in nostra materia oriri possint.

Rev.mus tertius Consultor proponit ut fiat remissio ad ius civile circa normas in transactione servandas. Propositio Rev.mi tertii Consultoris omnibus placet.

Circa formulam huius canonis habetur aliqua discussio, deinde communi consilio ita canon redigitur:

«§ 1. Si controversia de bonis ecclesiasticis oriatur, Ordinarius vel iudex partes hortetur ut, quantum fieri potest, per transactionem componatur.

§ 2. In transactione serventur normae statutae a legibus civilibus loci in qua transactio initur, nisi iuri canonico adversentur».

*Can. 31: De dimissione muneris administratoris (can. 1528)*

*Tit. IV. De alienatione et contractibus*

Ill.mus secundus Consultor proponit ut hic titulus inscribatur «De negotiis» ita ut magis pateat et comprehendere possit non tantum alienationes et contractus sed etiam acquisitiones, locationes, etc.

Rev.mus Secretarius notat quod in canonibus a nostro Coetu recognitis extat lacuna aliqua: nondum scilicet in novam redactionem introductus est can. 1499 § 1 CIC de acquisitione bonorum.

Alii Consultores concordant cum Rev.mo Secretario et ideo inter canones huius Tit. IV inserendus est can. 1499 § 1 CIC.

Circa inscriptionem Tituli aliae propositiones habentur.

Rev.mus primus Consultor censet sufficere inscriptionem « De contractibus ». Rev.mus quartus Consultor proponit: « De acquisitione, de alienatione et contractibus ».

Rev.mus quintus Consultor proponit: « De contractibus aliisque modis acquisitionis et alienationis ».

Rev.mus Secretarius proponit: « De acquisitione, de alienatione et speciatim de contractibus ».

Propositio Rev.mi Secretarii omnibus placet.

Deinde Rev.mus primus Consultor, omnibus Consultoribus approbantibus, proponit sequentem dispositionem canonum huius tituli.

Can. 32: De acquisitione bonorum temporalium (can. 1499 § 1 CIC: Ecclesia acquirere bona temporalia potest omnibus iustis modis iuris sive naturalis sive positivi, quibus id aliis licet)

Can. 33: De consensu superioris legitimi pro alienatione requisito (can. 1530)

Can. 34: De legitimo superiore pro variis casibus (can. 1530 bis)

Can. 35: De iusta causa, praevia aestimatione etc. (can. 1530 ter)

Can. 36: De pretio aestimato obtinendo, de usu pecuniae receptae (can. 1531)

Can. 37: De iisdem servandis, quoties Ecclesiae conditio periclitatur (can. 1533)

Can. 38: De actione instituenda, si sollemnitates omissae fuerint (can. 1534)

Can. 39: De bonorum locatione (can. 1541)

Can. 40: De bonis non alienandis ipsis administratoribus eorumve coniunctis (can. 1540)

Can. 41: De iuris civilis « canonizatione » in contractibus (can. 1534 bis)

Can. 42: De usura (can. 1543).

*Tit. V. De piis voluntatibus in genere et de piis foundationibus*

Rev.mus primus Consultor, omnibus Consultoribus approbantibus, proponit sequentem dispositionem canonum de piis voluntatibus et de piis foundationibus.

Can. 43: De capacitate donandi bona ad pias causas et de heredibus monendis circa obligationem adimplendi testatoris voluntatem (can. 1513)

Can. 44: De diligentissima piarum voluntatum adimptione (can. 1514)

Can. 45: De Ordinarii officio advigilandi circa adimptionem (can. 1515)

Can. 46: De bonis fiduciarie a clericis vel religiosis acceptis (can. 1516)

Can. 47: De notione foundationis piae (can. 1544)

Can. 48: De praevis conditionibus iure particulari definiendis (can. 1545)

Can. 49: De requisito Ordinarii consensu (can. 1546)

Can. 50: De tuta bonorum dotatorum depositione et collocacione (can. 1547)

Can. 51: De documento foundationis exarando et conservando (can. 1548)

Can. 52: De tabella onerum, et de libro in quo adimptio notatur (can. 1549)

Can. 53: De reductione onerum missarum (can. 1517)

Can. 54: De reductione, moderatione, commutatione aliorum onerum ex piis voluntatibus vel foundationibus susceptorum (can. 1517 bis).

His dictis finis Sessioni imponitur.

APPENDIX  
SCHEMA CANONUM

*Tit. I. Canones praeliminaries*

*Can. 1*

Ecclesia catholica et Apostolica Sedes bona temporalia iure nativo acquirere, retinere et administrare valent ad fines sibi proprios proseguendos.

*Can. 2*

In Ecclesia bona temporalia acquiruntur, possidentur, administrantur in fines qui a doctrina Christi et ab ipsius Ecclesiae ordinatione statuuntur; praesertim ad cultum divinum ordinandum, ad honestam cleri aliorumque ministrorum sustentationem procurandam, ad opera sacri apostolatus et caritatis exercenda.

*Can. 3*

Ecclesiae nativum quoque ius est exigendi a fidelibus quae ad fines sibi proprios sint necessaria.

*Can. 4*

§ 1. Fideles vera obligatione tenentur contribuendi ut fines de quibus in can. 2 Ecclesia assequi possit.

§ 2. Specialiter meminerint fideles se teneri obligatione pro posse procurandi necessaria subsidia ad honestam sustentationem eorum qui in bonum spirituale fidelium in Ecclesia operam impendunt.

§ 3. Episcopi de his obligationibus fideles monere tenentur et opportuno modo eas urgere curant.

*Can. 5*

§ 1. Ius Ordinariis locorum est tributa imponendi personis ecclesiasticis tam physicis quam moralibus sive publicis sive privatis, quatenus necessaria sint in bonum dioecesis. Tributa ne imponantur nisi audito Consilio presbyterali.

§ 2. Conferentiae Episcoporum pro suo quaeque territorio normas statuere debent ad ordinationem tributorum regendam.

§ 3. Fideles subsidia Ecclesiae conferant per obventiones rogatas et iuxta normas a Conferentiis Episcoporum probatas. Episcopi tamen suasionem magis quam coactionem fideles inducant ad hanc obligationem implendam.

*Can. 6*

Nisi aliud iure cautum sit, praefinire taxas pro actibus iurisdictionis non iudicialis vel pro executione rescriptorum Sedis Apostolicae vel occasione ministracionis sacramentorum et sacramentalium est conventus episcoporum provinciae.

*Can. 7*

§ 1. Salvo iure religiosorum, vetatur persona quaevis privata sive physica sive canonica sine proprii Ordinarii et Ordinarii loci licentia, in scriptis data, stipem cogere pro quolibet pio aut ecclesiastico instituto vel fine.

§ 2 Conferentia episcopalis cuiusque nationis potest, auditis Superioribus religiosis quorum interest, normas de stipe quaeritanda statuere, quae ab omnibus Religionibus servari debent, iis non exclusis quae ex instituto mendicantes vocantur et sunt, salvo tamen earundem mendicandi iure.

§ 3. In omnibus ecclesiis et in omnibus oratoriis publicis vel semipublicis, etiam ad religiosos pertinentibus, quae de facto habitualiter christifidelibus pateant, Ordinarius loci praecipere potest ut specialis stips colligatur pro determinatis inceptis paroecialibus vel dioecesanis, nationalibus vel universalibus, ad Episcopalem Curiam postea sedulo mittenda.

*Can. 8*

§ 1. Nisi contrarium probetur fidelium oblationes superioribus vel administratoribus cuiusvis personae moralis ecclesiasticae eorumve adiutoribus factae, praesumuntur ipsi personae morali factae.

§ 2. Oblationes de quibus in § 1 repudiari nequeunt sine licentia Ordinarii.

*Can. 9*

Praescriptionem, tamquam acquirendi et se liberandi modum, prout est in legislatione civili respectivae nationis, Ecclesia pro bonis ecclesiasticis

recipit, salvis praescriptis in cann. ... statutis, dummodo bona fide, per totum possessionis tempus requisitum, praescriptio nitatur.

*Tit. II. De subiecto dominii*

*Can. 10*

Subiectum capax bona temporalia acquirendi, retinendi et administrandi ad normam iuris est quaevis persona moralis, sive publica sive privata, quae vel ex iuris praescripto vel ex speciali competentis auctoritatis ecclesiasticae concessione in iuridicam personam erecta sit.

*Can. 11*

Dominium bonorum, sub suprema auctoritate Romani Pontificis, ad eam pertinet moralem personam, quae eadem bona legitime acquisiverit.

*Can. 12*

Bona temporalia omnia, quae ad Ecclesiam, Apostolicam Sedem aliasve in Ecclesia personas morales sive publicas sive privatas pertinent, sunt bona ecclesiastica.

*Can. 13*

§ 1. Bona ecclesiastica quae ad personas canonicas publicas pertinent moderantur canones qui sequuntur.

§ 2. Bona autem ecclesiastica quae ad personas canonicas privatas pertinent moderantur ius particulare aut propria statuta, nisi aliud in hisce canonibus cautum sit.

*Can. 14*

§ 1. Advigilent Episcoporum Conferentiae, iuxta normas ab ipsis condendas, ut in singulis dioecesibus habeatur speciale institutum quod bona vel oblationes colligat eum in finem ut honestae necnon fundamentaliter aequali sustentationi omnium clericorum, qui in populi Dei servitium munere funguntur, apte provideatur.

§ 2. In nationibus ubi praevidentia socialis in favorem cleri nondum apte ordinata est, curent Conferentiae Episcoporum pro suo cuiusque territorio ut habeantur instituta quibus, sub vigilantia Hierarchiae, securitati sociali clericorum satis provideatur.

§ 3. In singulis dioecesibus vel regionibus, modis ab Episcoporum Conferentiis definiendis, laicorum etiam opera adhibita, constituatur quantum fieri possit massa communis qua valeant Episcopi obligationibus erga alias personas Ecclesiae deservientes satisfacere variisque dioecesis necessitatibus occurrere, quaque etiam valeant dioecesis divitiores adjuvare pauperiores.

§ 4. Pro diversis locorum adiunctis, fines de quibus in §§ 2 et 3 aptius obtineri possunt per instituta dioecesana inter se foederata, vel per cooperationem aut etiam per convenientem consociationem pro variis dioecesibus, imo et pro toto territorio constitutam.

Foveantur insuper relationes, quoties id expedire videatur, inter huiusmodi instituta diversarum nationum ad eorum maiorem efficacitatem promovendam ac tuendam.

§ 5. Haec instituta ita pro posse constituenda sunt ut iure civili quoque efficaciam obtineant.

### *Tit. III. De administratione bonorum*

#### *Can. 15*

Summus Pontifex vi primatus iurisdictionis est omnium bonorum ecclesiasticorum supremus administrator et dispensator. Eiusdem igitur est legibus generalibus administrationem bonorum ecclesiasticorum moderari et graviores causas suo iudicio reservare.

#### *Can. 16*

Bona ecclesiastica, quae ad normam can. 14 ex pluribus dioecesibus coalescunt, administrantur secundum normas a Conferentia episcopali legitime statutas.

#### *Can. 17*

§ 1. Ordinarii est sedulo advigilare administrationi omnium bonorum ecclesiasticorum, quae ad personas morales pertinent suae iurisdictioni subiectas, salvo legitimis praescriptionibus, quae eidem potiora iura tribuant.

§ 2. Habita ratione iurium, legitimarum consuetudinum et circumstantiarum, Ordinarii, editis peculiaribus instructionibus intra fines iuris communis, universum administrationis bonorum ecclesiasticorum negotium ordinandum curent.

*Can. 18*

§ 1. Quilibet Ordinarius proprium Consilium administrationis instituat, quod constet praeside, qui est ipse Ordinarius, et aliquot viris idoneis, quorum saltem unus ad Consilium presbyterale pertineat, ab ipso Ordinario eligendis, audito eodem Consilio presbyterali, nisi iure particulari alio aequivalenti modo provideatur.

§ 2. Ordinarius statuatur normas quibus Consilium administrationis suum munus adimplere debeat.

§ 3. A Consilio administrationis excluduntur viri qui cum Ordinario primo vel secundo gradu consanguinitatis vel affinitatis coniuncti sunt.

§ 4. Ordinarius in administrationis actibus maioris momenti Consilium administrationis audire tenetur; huius tamen sodales votum habent tantum consultivum, nisi iure communi in casibus specialiter expressis vel ex tabulis foundationis eorum consensus exigatur.

*Can. 19*

§ 1. Quilibet Episcopus tenetur officium oeconomi constituere pro administratione bonorum, quae ad dioecesim pertinent, nisi parvitas dioecesis aut paucitas negotiorum aliud suadeat.

§ 2. Oeconomus nominatur ab Episcopo, audito Consilio presbyterali.

§ 3. Praeter munus administrandi, sub auctoritate Episcopi, bona temporalia dioecesis, oeconomis committi possunt ab eodem Episcopo munera de quibus in cann. 17, § 1 et 21.

*Can. 20*

Administratio bonorum ecclesiasticorum personae canonicae sive publicae sive privatae penes eum est, qui immediate regit personam ad quam eadem bona pertinent, nisi aliud ferat ius particulare, statuta aut legitima consuetudo.

*Can. 21*

In administratione bonorum ecclesiasticorum personae, sive publicae sive privatae, quae ex iure vel tabulis foundationis aut propriis statutis suos non habent administratores, Ordinarius assumat viros idoneos, qui elapso triennio a munere cessant, nisi ab Ordinario iterum nominentur.

*Can. 22*

§ 1. Ordinarii est, postquam Consilium administrationis audierit, determinare, editis peculiaribus praescriptionibus intra ambitum iuris sive communis sive particularis et statutorum particularium uniuscuiusque instituti, quinam actus ordinariae administrationis fines et modum excedant.

§ 2. Administratores invalide ponunt actus qui fines modumque ordinariae administrationis excedunt, nisi prius ab Ordinario facultatem scripto dandam impetraverint.

§ 3. Nisi quando et quatenus in rem suam versum sit, Ecclesia non tenetur respondere de actibus ab administratoribus invalide positis. De actibus autem ab eisdem administratoribus illicite sed valide positis respondebit Ecclesia, salvo iure recursus contra illos, qui damna eidem intulerunt.

*Can. 23*

Omnes, sive clerici sive laici, qui legitimo titulo partes habent in administratione bonorum ecclesiasticorum, munera sua adimplere tenentur nomine Ecclesiae, ad normam iuris.

*Can. 24*

§ 1. Antequam administratores bonorum ecclesiasticorum suum munus ineant:

- 1° debent se bene et fideliter administraturos coram Ordinario vel eiusdem delegato iureiurando cavere;<sup>2</sup>
- 2° accuratum ac distinctum inventarium, ab ipsis subscribendum, rerum immobilium, rerum mobilium pretiosarum aliarumve cum descriptione atque aestimatione earumdem redigatur, redactumque recognoscatur;

<sup>2</sup> Hic numerus ex suffragatione — 5 contra 5 — probatus non est; inseritur in Acta ut provideant Superiores.

3° huius inventarii alterum exemplar conservetur in tabulario administrationis, alterum in archivo Curiae; et in utroque quaelibet immutatio adnotetur quam patrimonium subire contingat.

§ 2. Eadem valent etiam de administratoribus bonorum personarum canonicarum privatarum nisi aliud in propriis statutis cautum sit.

*Can. 25*

§ 1. Omnes administratores bonorum ecclesiasticorum diligentia boni patrisfamilias suum munus implere tenentur.

§ 2. Exinde debent:

- 1° vigilare ne bona ecclesiastica suae curae concredita quoquo modo pereant aut detrimentum capiant, initis in hunc finem, quatenus opus sit, contractibus absecurationis;
- 2° praescripta servare iuris tam canonici quam civilis, aut quae a fundatore vel donatore vel legitima auctoritate imposita sint;
- 3° redditus bonorum ac proventus accurate et iusto tempore exigere exactosque tuto servare et secundum fundatoris mentem aut legitimas normas impendere;
- 4° foenus vel mutui vel hypothecae causa solvendum statuto tempore solvere, ipsamque debiti summam capitalem quam citissime redimendam curare;
- 5° pecuniam, quae de expensis supersit et utiliter collocari potest, de consensu Ordinarii, in fines ecclesiae vel instituti occupare;
- 6° accepti et expensi libros bene ordinatos habere;
- 7° rationem administrationis conclusivam quotannis componere atque ad Ordinarium transmittere;
- 8° documenta et instrumenta, quibus iura Ecclesiae aut instituti in bona nituntur, rite ordinare et in archivo convenienti et apto custodire; authentica vero eorum exemplaria, ubi commode fieri potest, in archivo Curiae deponere.

§ 3. Rationes etiam praeventivae ab administratoribus quotannis componendae enixe commendantur.

§ 4. De rationibus praeventivis provideat ius particulare tum quoad eas praecipandas vel commendandas, tum quoad modos quibus eadem sint exhibendae.

*Can. 26*

Intra limites dumtaxat ordinariae administrationis, fas est administratoribus bonorum ecclesiasticorum de bonis mobilibus quae ad patrimonium stabile non pertinent, donationes ad fines pietatis aut christianae caritatis facere.

*Can. 27*

§ 1. Administratores bonorum ecclesiasticorum in operum locatione leges, quibus labor et vita socialis dirigitur, adamussim servent, iuxta principia ab Ecclesia tradita.<sup>3</sup>

§ 2. Iis, qui Ecclesiae operam ex condicto praestant, iustam et honestam mercedem tribuant ita ut eisdem facultates praebeantur suam suorumque vitam religiosam, familiarem, socialem, culturalem adaequate colendi.

*Can. 28*

§ 1. Reprobata contraria consuetudine, administratores tam ecclesiastici quam laici quorumvis bonorum ecclesiasticorum, quae ex Ordinarii loci iurisdictione non sint legitime subducta, singulis annis officio tenentur rationes Consilio administrationis exhibendi, quod, examine peracto, eas Ordinario tradat.

§ 2. De bonis, quae a fidelibus Ecclesiae offeruntur, administratores, nisi iusta causa aliud suadeat, rationes eisdem fidelibus reddere debet iuxta modum iure particulari statuendum.

*Can. 29*

Administratores litem nomine Ecclesiae ne inchoent neve contestentur in foro civili nisi licentiam scripto datam Ordinarii proprii et Ordinarii loci obtinuerint.

<sup>3</sup> Rev.mus quartus Consultor vult ut in nota ponantur sequentes textus formularum huius § 1: « Administratores bonorum ecclesiasticorum in gestione negotiorum officii sui, praesertim in operae (operarum) conductione, leges quibus labor et vita socialis dirigitur adamussim servent, iuxta principia ab Ecclesia tradita ».

Vel: « Administratores bonorum ecclesiasticorum in gestione negotiorum officii sui, quae iustitiam socialem tangunt (spectant), praesertim in operae (operarum) conductione ».

*Can. 30*

§ 1. Si controversia de bonis ecclesiasticis oriatur, Ordinarius vel iudex partes hortetur ut, quantum fieri potest, per transactionem componatur.

§ 2. In transactione servantur normae statutae a legibus civilibus loci in quo transactio initur, nisi iuri canonico adversentur.

*Can. 31*

Etsi ad administrationem non teneantur titulo officii ecclesiastici, administratores munus expresse vel tacite susceptum arbitrato suo dimittere nequeunt.

*Tit. IV. De acquisitione, de alienatione et speciatim de contractibus**Can. 32*

Ecclesia acquirere bona temporalia potest omnibus iustis modis iuris sive naturalis sive positivi, quibus id aliis licet.

*Can. 33*

Ad alienanda bona quae personae moralis ecclesiasticae ex legitima assignatione patrimonium stabile constituunt, requiritur consensus legitimi superioris, sine quo alienatio invalida est.

*Can. 34*

§ 1. Legitimus superior de quo in can. 33 est loci Ordinarius qui audire tenetur administrationis Consilium et consensum habere eorum quorum interest.

§ 2. Si tamen agatur de rebus *quarum valor summam* a Conferentia episcopali pro sua cuiusque regione definiendam excedit, [vel de rebus pretiosae artis vel historiae causa], consensus loci Ordinarii *prius* confirmari debet a Commissione speciali ad eum finem ab eadem Conferentia statuta.

§ 3. Si denique agatur de rebus ex voto Ecclesiae donatis [vel de rebus pretiosis], vel de quibusvis bonis quorum valor excedit duplo summam a Conferentia episcopali ad normam § 2 definitam, Superior competens etiam consensum S. Sedis ad valide agendum obtinere debet.

- *alia formula § 3:*

(§ 3) Si denique agatur de rebus ex voto Ecclesiae donatis vel de rebus pretiosis quarum valor dimidiam excedit summam a Conferentia episcopali ad normam § 2 definitam, vel de quibusvis bonis quorum valor excedit duplo istam summam (a Conferentia episcopali statutam), Superior competens etiam consensum Apostolicae Sedis ad valide agendum obtinere debet.<sup>4</sup>

§ 4. Si res alienanda sit divisibilis, in petendo consensu vel confirmatione pro alienatione exprimi debent partes antea alienatae; secus consensus irritus est.

§ 5. Ii qui in alienandis bonis ecclesiasticis consilio vel consensu partem habere debent, ne praebeant consilium vel consensum nisi prius exacte fuerint edocti tam de statu oeconomico personae moralis cuius bona alienanda proponuntur, quam de alienationibus iam peractis.

*Can. 35*

§ 1. Ad alienanda bona ecclesiastica requiritur, insuper:

1° iusta causa veluti urgens necessitas, evidens utilitas, pietas, caritas, bonum pastorale.

2° Aestimatio rei alienandae a peritis scripto facta.

§ 2. Aliae quoque cautelae a legitimo superiore praescriptae servantur ut Ecclesiae damnum vitetur.

*Can. 36*

§ 1. Res alienari minori pretio ordinarie non debet quam quod in aestimatione indicatur.

§ 2. Pecunia ex alienatione percepta vel in commodum Ecclesiae caute collocetur, vel iuxta alienationis fines, prudenter erogetur.

*Can. 37*

Sollemnitates ad normam cann. 33, 35 et 36 requiruntur non solum in alienatione, sed etiam in quolibet negotio quo conditio patrimonialis Ecclesiae peior fieri possit.

<sup>4</sup> N.B.: De rebus pretiosis vel dicitur in § 2 vel dicitur in § 3.

*Can. 38*

Si quando bona ecclesiastica sine quidem debitis sollemnitatibus canonicis, in forma tamen civiliter valida, alienata fuerint, superioris competentis est decernere, omnibus mature perpensis, an et qualis actio, personalis scilicet vel realis, a quonam et contra quemnam instituenda sit ad Ecclesiae iura vindicanda (formula maioritatis Consultorum).

*Vel:*

§ 1. Ecclesiae competit actio personalis contra eum qui sine debitis sollemnitatibus bona ecclesiastica alienaverit; realis vero, si alienatio nulla fuerit, contra quemlibet possessorem, salvo iure emptoris contra male alienantem.

§ 2. Contra invalidam rerum ecclesiasticarum alienationem agere possunt qui rem alienavit, eius Superior, utriusque successor in officio, tandem quilibet clericus illi Ecclesiae adscriptus, quae damnum passa sit.

§ 3. Prudentiae superioris competentis committitur concessio licentiae ad instituendam actionem ad normam §§ 1 et 2 (formula minoritatis Consultorum).

*Can. 39*

§ 1. In locatione bonorum ecclesiasticorum servantur leges civiles.

§ 2. Firmo praescripto § 1, Conferentiae Episcoporum est, attentis locorum adiunctis, normas statuere de bonis ecclesiasticis locandis, praesertim de licentia a competenti auctoritate ecclesiastica obtinenda.

*Can. 40*

Nisi res sit minimi momenti, bona ecclesiae propriis administratoribus eorumve coniunctis in primo aut secundo consanguinitatis vel affinitatis gradu non sunt vendenda aut locanda sine speciali competentis superioris licentia scripto data.

*Can. 41*

Quae ius civile in territorio statuit de contractibus tam in genere, quam in specie, et de solutionibus, eadem iure canonico in re quae iurisdictioni Ecclesiae subest iisdem cum effectibus servantur, nisi iuri divino contraria sint aut aliud iure canonico caveatur.

*Can. 42*

Si res fungibilis ita alicui detur ut eius fiat et postea tantundem in eodem genere restituatur, nihil lucri, ratione ipsius contractus, percipi potest; sed in praestatione rei fungibilis non est per se illicitum de lucro legali pacisci, nisi constet ipsum esse immoderatum, aut etiam de lucro maiore, si iustus ac proportionatus titulus suffragetur.

*Tit. V. De piis voluntatibus in genere et de piis foundationibus**Can. 43*

§ 1. Qui ex iure naturae et ecclesiastico libere valet de suis bonis statuere, potest ad causas piis, sive per actum inter vivos sive per actum mortis causa, bona relinquere.

§ 2. In dispositionibus mortis causa ad causas piis serventur, si fieri possit, sollemnitates iuris civilis; hae si omissae fuerint heredes moneri debent de obligatione qua tenentur ex iustitia adimplendi testatoris voluntatem.

*Can. 44*

Voluntates fidelium facultates suas in piis causas donantium vel relinquuntium, sive per actum inter vivos, sive per actum mortis causa, legitime acceptatae, diligentissime impleantur etiam circa modum administrationis et erogationis bonorum, salvo praescripto can. 45, § 3.

*Can. 45*

§ 1. Ordinarii omnium piarum voluntatum tam mortis causa quam inter vivos executores sunt.

§ 2. Hoc ex iure Ordinarii vigilare possunt, ac debent, etiam per visitationem, ut piae voluntates impleantur, et alii executores debent, perfuncti munere, illis reddere rationem.

§ 3. Clausulae huic Ordinariis iuri contrariae, ultimis voluntatibus adiectae, tamquam non appositae habeantur.

*Can. 46*

§ 1. Clericus vel religiosus qui bona ad piis causas sive per actum inter vivos, sive ex testamento fiduciarie accepit, debet de sua fiducia Ordina-

rium certiozem reddere, eique omnia istiusmodi bona seu mobilia seu immobilia cum oneribus adiunctis indicare; quod si donator id expresse et omnino prohibuerit, fiduciam ne acceptet.

§ 2. Ordinarius debet exigere ut bona fiduciaria in tuto collocentur et vigilare pro executione piae voluntatis ad normam can. 45.

§ 3. Bonis fiduciariis alicui religioso commissis, si quidem bona sint attributa loci seu dioecesis ecclesiis, incolis aut piis causis iuvandis, Ordinarius de quo in §§ 1, 2, est loci Ordinarius; secus est Superior Maior in religione clericali, Ordinarius eiusdem religiosi proprius in religione laicali.

#### *Can. 47*

§ 1. Nomine piarum foundationum significantur bona temporalia alicui personae canonicae publicae quoquo modo data cum onere in diuturnum tempus, iure particulari determinandum, ex redditibus annuis Missas celebrandi vel praefinitas functiones ecclesiasticas explendi, aut pietatis, caritatis et apostolatus opera peragendi.

§ 2. Fundatio, legitime acceptata, naturam induit contractus synallagmatici: do ut facias.

#### *Can. 48*

Iuris particularis est definire condiciones sine quibus piae fundationes acceptari nequeunt.

#### *Can. 49*

§ 1. Ut huiusmodi fundationes a persona morali valide acceptari possint, requiritur consensus Ordinarii in scriptis datus, qui eum ne praebeat antequam legitime compererit personam moralem tum novo oneri suscipiendo, tum iam susceptis satisfacere posse; maximeque caveat ut reditus omnino respondeat oneribus adiunctis secundum cuiusque loci vel regionis morem.

§ 2. Suppressa.<sup>5</sup>

<sup>5</sup> Rev.mus quintus Consultor, cui tres Consultores assensi sunt, hanc § 2 proposuit:

«Ius acceptandi, constituendi et administrandi pias fundationes, ad normam iuris, legitimae auctoritati ecclesiasticae exclusive competit».

*Can. 50*

Pecunia et bona mobilia, dotationis nomine assignata, statim in loco tuto ab Ordinario approbando deponantur ad eum finem ut eadem pecunia vel bonorum mobilium pretium custodiantur et quamprimum caute et utiliter secundum prudens eiusdem Ordinarii iudicium, auditis et iis quorum interest et proprio administrationis Consilio, collocentur in commodum eiusdem foundationis cum expressa et individua mentione oneris.

*Can. 51*

§ 1. Foundationes, etiam viva voce factae, scripto consignentur.

§ 2. Alterum tabularum exemplum in Curiae archivo, alterum in archivo personae moralis, ad quam fundatio spectat, tuto asservetur.

*Can. 52*

§ 1. Servatis praescriptis cann. 44-46 et can. 28 onerum ex piis foundationibus incumbentium tabella conficiatur quae apud rectorem ecclesiae vel instituti in loco tuto servetur.

§ 2. Praeter librum de quo in can. 843 § 1, alter liber retineatur et apud eundem rectorem servetur, in quo singula onera eorumque implementum et eleemosynae adnotentur.

*Can. 53*

§ 1. Reductio onerum Missarum generatim reservatur Sedi Apostolicae.

§ 2. Si vero in tabulis foundationum id expresse caveatur, Ordinarius ob imminutos redditus onera Missarum reducere valet.

§ 3. Episcopis dioecesanis, aliisque in iure ipsis aequiparatis, competit iure facultas reducendi ob diminutionem reddituum, quamdiu causa perduret, ad rationem eleemosynae in dioecesi legitime vigentis, Missas legatorum, quae sint per se stantia, dummodo nemo sit qui obligatione teneatur et utiliter cogi possit ad eleemosynae augmentum faciendum.

§ 4. Iisdem iure competit facultas reducendi onera seu legata Missarum gravantium beneficia aliave instituta ecclesiastica, si redditus beneficii aut instituti insufficientes evaserint ad honestam beneficiarii sustentationem et

ad implenda opera sacri ministerii forte beneficio adnexa, vel ad finem proprium eiusdem instituti ecclesiastici congruenter consequendum.

§ 5. Iisdem facultatibus de quibus in §§ 3 et 4 gaudent Supremi Moderatores religionum clericalium.

§ 6. Facultates in §§ 3, 4 comprehensas Episcopi delegare non valent nisi Coadiutori, Auxiliaribus, Vicariis Episcopalibus et Vicario Generali; Vicarii autem ac Praefecti Apostolici suo tantum Vicario Delegato.

*Can. 54*

§ 1. Firmis praescriptis canonis praecedentis, ultimarum voluntatum in pias causas reductio, moderatio, commutatio, siquidem fundator potestatem hanc Ordinario expresse concesserit, potest ab eodem fieri ex iusta tantum et necessaria causa.

§ 2. Si executio onerum impositorum, ob imminutos redditus aliamve causam, nulla administratorum culpa, impossibilis evaserit, Ordinarius, auditis iis quorum interest et proprio Consilio administrationis atque servata, meliori quo fieri potest modo, fundatoris voluntate, poterit eadem onera aequae imminuere. In dubio circa intentionem aut modum attingendi finem testatoris, iudicium eidem Ordinario reservatur.

§ 3. In ceteris casibus recurrendum est ad Sedem Apostolicam.

